



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1648

§. 13. Regnum Nauarrae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13147

§ 11. *Regnum Maiorica.*

ANTEQVAM illas Insulas inuaderent Mauri in publicâ Hispaniæ calamitate, à Pisanis administrabantur. Cùm ergo his Saraceni diu potiti essent, Iacobus Rex Aragonum hinc eos eiecit, & Regno adiunxit suo. Sed postea assignatæ sunt cum titulo Regio alteri Iacobo fratri Petri Aragonij, qui ex iis fratrem expulit, & Aragonio regno denuo coniunxit.

§. 12. *Valentiæ Regnum.*

MVLTOs annos à Mauris Hispaniæ dominis occupatum est, tandem iisdem ereptum per Iacobum Aragoniæ Regem, expulso Rege eius Saraceno Zahale. Nunc per Proregem administratur. Valentia verò quasi sui iuris Reip. formam exhibet.

§. 13. *Regnum Navarra.*

NOMEN habere dicitur à voce Hispanica *Naues* quæ *Plantiam*, & Cantabrica *Erria* quæ *terram* sonat. Licet aliqui credant *Naues* significare agros sepibus circumdatos, quales hîc multi reperiuntur.

Quemadmodum autem Christiani à Mauris expulsi Ouetanum regnum instituerunt in Asturiis, sic ad Pyrenæum montem Principem elegere Garciam Ximenium, qui primus dicitur fuisse Rex Sobarbiæ, & Navarra. Et in eo perseverarunt Reges vsque ad Ferdinandum V. Castellæ, & Aragoniæ Regem, qui abusus interdicto Pontificio Iulij II. Ioannem Albrerum, & Catharinam Fuxensem regno expulit, idque adiunxit Castellæ. Itaque ab eo tempore tota *superior* Navarra paret Hispano, *inferior*, & minor portio Gallico sceptro per Henricum Magnum legitimum huius Regni heredem coniuncta est. Regio magna ex parte sterilis, cui vastitatem Hispanus intulit quâ partem Gallicam ditionem stringit: ne Pompelonem regni caput petere queant Franci, vt aliquando fecerunt.